



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, &  
Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos  
attinentibus**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi**

Cap. 3. De Vsuris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40922**

satio, quia juramentū recipit interpretationem ex mente pacientiū, & præcipue ejus, qui illud sibi curat præstari. c. quacunq; ante 22. q. 5 *Quacunque arte, verborū quisq; mret, ait D. Greg. Deus tamen ita hoc accipit, sicut ille cui juratur.* Sed si obligatio sit priùs contracta, & ab altero non ignorata, utique mens fuit ejus qui juramentum procura-  
vit, non fictam, sed veram realem solutionem  
sibi fieri: nam aliás plerumque frustrā exegisset  
juramentum de solvendo, cùm solutio compen-  
satoria per viam retentionis fuerit in sua propria  
potestate, ut vel parūm consideranti patebit.  
Altero autem casu procedit compensatio tan-  
quam non prævisa, & ideo juramento non ex-  
clusa, sed in natura solutionis comprehensa. n. si  
fuerit talis obligatio, quæ potuit tempore jura-  
menti prævideri, sicut est casus in d. c. ad no-  
stram. Eset hic ansa de restrictionib; mentalibus.  
aliquid dicendi, † an & quando licet; sint, ac à 16  
perjurio excusent, sed in aliam occasionem diffe-  
rimus, videatur Nav. in Can. humanae aures. 22.  
q. 5. Sanch. lib. 3. mor. cap. 6. Laym. in Theol.  
lib. 4. tr. 3. c. 13. & c. 14. n. 7. Zoël. ad tit. de-  
cret. de iurejur. n. 85. ubi ex magna causa am-  
phibologicum sermonē à mendacio & perjurio  
excusant.

## CAPUT III.

## De Usuris.

**M**ateriam Usurarum ad cognitionem Paro;  
chi spectare tum ratione peccati, tum ra-  
tione

Ss 3

tione

tione Ecclesiasticae sepulturæ, & cautionis ab usurarijs de restituendis usuris in articulo mortis per Parochos exigendæ, *juxt. c. 2. de usur. in 6.* superius *in p. 4. c. 3. sub n. 20.* insinuatum est, placuit proinde etiam hanc Manuali Parochorum supperaddere.

## §. I.

## Quid sit Usura, ac quo Jure prohibita?

## SUMMARIA.

1. *Usura quid?*
  2. *Usura propriè tantum in mutuo committitur, si pro eo aliquid temporale pretio estimabile exigitur.*
  3. *Usura quidem requirit pactum, sed id aliquando est implicuum.*
  4. *Usuræ quedam licite, seu compensatoria luci cessantis, aut damni emergentis.*
  5. *Usuræ jure divino, naturali, & humano prohibite.*
  6. *Qua ratione Deus concesserit Judæis fanus cum gentibus exercere.*
  7. *Explicantur alij textus Scripturae.*
  8. *Cur Usuræ etiam jure naturali prohibite.*
  9. *Sub nomine mutui potest aliquando latere alius contractus licitus.*
  10. *Usuræ non possunt aliquâ lege permitti.*
  11. *Peccant graviter contra justitiam, qui Judæis vel aliis exercitium usurarum concedunt.*
  12. *An peccet debitor solvendo usuras?*
- U**sura apud Latinos usum vel potius & magis accommodè ad sensum hujus loci frumentum



Dum &c utilitatem ex usu rei provenientem significat, veluti Cicero in Verrem: *Cur pyratis, ait, lucis usuram dedistis?* Et idem de senectute: *Terra inquit, nunquam sine usura reddit, quod accepit.* Verum ad praesentem materiam varias usuræ descriptiones, & definitiones adferunt interpres, ex quibus omnibus sequentem colligo & definitio, usuram esse, quicquid ex mutuo temporale, & prelio estimabile per pactum lucri causa sorti seu debito principali accedit. consideremus singulas hujus definitionis particulas.

Dico I. *Ex mutuo:* nam usura propriè tantum in contractu mutui communiter per texum & DD. communiter in c. I. I4. q. 3. sicuti & sententia Christi paulo post citanda de solo mutuo loquitur. Est enim mutuum ex sua natura contractus gratuitus, ubi regulariter sufficit, pecuniam mutuò acceptam sine alio additamento mutuanti reddere. In alijs vero contractibus, ut in emptione, venditione, permutatione, locazione & similibus, potest quidem committi dolos vel iniquitas habens annexam obligationem restitutioonis, ut si res carius justo pretio, ut viuosa vendatur &c. sed non usura propriè dicta, adeoque nec ibi pœnae specialiter contra usurarios latæ locum habent, nisi quatenus aliquando palliatum mutuum continent, prout ista omnia in hoc, & sequenti §. magis declarabimus.

Dico II. *Temporale;* si enim paciscaris cum mutuatario, ut praeter restitucionē pecuniæ mutuæ teneatur tibi conferre beneficium Eccle-

fasticium, vel dare rem aliam spiritualiorem aut sacram, potius simonia quam usura commissa dicitur.

Dico III. *Precio estimabile*, unde quamvis de Jure Civili usura propriè in pecunia numerata consistere videatur. *b. eos. 26. §. 1. & passim C. de usuris. Panorm. ad rub. hujus tituli n. 4. de Jure tamen Canonico* (quod circa usuras tanquam in in materia peccati & conscientiae prævalent juri Civili) usura censetur, hæc res alia, quam pecunia ultra sortem à mutuatario exigantur, ut v. g. certam quantitatem frumenti solvat, & certas operas præstet, ut actionem quam contra mutuantem habet, remittat &c. cap. 2. & 3. causa 14. q. 3.

Notanter autem loquor, si talia ultra capitale mutuatum exigantur, nam si, quod aliquando fieri solet operario vel opifici volenti à te mutuare pecuniam, eandem tribuas cum pacto, ut sis nullum quidem pecuniam restituas, sed pro ea operas præstet, vel opus aliquod conficiat, non erit usura, sed contractus licitus, atque idem, ac si operatio mercedem anticipato dedisses, dum modò operæ præstite non pluris astimentur, quam pecunia numerata.

3 Dico IV. *Per pactum*: id est, ut mutuatarius ex obligatione contracta teneatur aliquid ultra sortem principalem mutuanti solvere, quare securus est, si mutuatarius propria sponte ex mera liberalitate vel gratitudine mutuanti aliquid tribuat, prout in simili de simonia dicitur, non esse

esse simonam, si pro re spirituali absque praecedenti pacto aliquid liberaliter oblatum accipatur. Si enim mutuatarius posset cuicunque alteri res suas donare, cum quilibet rei suae moderator sit & arbiter, *l. m re mandata C. mandatis* sane mutuans qui ei mutuando beneficium praestat, non debet esse deterioris conditionis, ut minus pro beneficio liberè oblatum accipere nequeat, cum naturalis ratio hominibus obligationem *antidoralem*, seu reciprocae gratitudinis ergò benefactores imponat.

Interim tamen quia *antidoralis* obligatio ordinariè tantum moralem honestatem, non juris vinculum, aut actionem vel exactiōnem inducit, neque obligat ad certum & determinatum gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere, ideo non auderem à peccato usurae, saltem mentalis excusare illos, qui liberalitatem & gratitudinem non tam exspectant, quam extorquent, & indigentibus hominibus non aliter mutuant pecunias, quam sub spe promissionis, & etiam exactione largae remuneracionis. Id quod satis probat textus in c. consuluit. 10. X. de usuris, ubi Pontifex usurarium judicat illum, qui ( utimur verbis ejusdem cap.) non alias muro traditurus è proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante plus tamen sorte recipiat. Sunt tamen nonnulli qui cum *Lel. de iustitia & jure l. 2 c. 20 n. 34. & § 6.* hunc textum exponant de eo calu, quando non sub ratione gratitu-

§ s § datis,

dinis, sed sub ratione justitiae & obligationis civilis aliquid ultra sortem exigitur: hæc tamen interpretatio non videtur textui generaliter & sine tali distinctione loquenti satis convenire, nam obligatio civilis & justitiae, cum ex ipso contractu mutui, utpote gratuiti, esse nequeat necessariò ex conventione & pacto accedente, esse deberet, Pontifex autem supponit omnem conventionem, quæ obligationem civilem inducat, abesse, & in eo magis se fundat, quod mutuans non velit aliter mutuare, quam ut aliquid ultra mutuatam pecuniam quocunque deinde titulo vel colore sive justitiae, sive gratitudinis, à mutuatario recipiat. Idque confirmatur ex c. 2. vers. alijs &c. 3. verf. si quis causar. q. 3. ubi SS. PP. donativa & munuscula (intellige, non liberà sponte oblata, sed exacta) à debitoribus recipientes usurarios reputant; munuscula autem & donativa utique rationem justitiae non habent, sed remunerationis.

Ratio autem fundamentalis mihi videtur, quod usura principaliter prohibita sit, ob gravamen indigentium, qui spe recipienda pecuniae cum suo detimento qualibet pacta etiam facilè ineunt. Est verò etiam gravamen indigentium, si sciant, se pecunias aliter obtineri non posse, quam si liberaliter donent mutuanti non sine damno suarum facultatum, tales proinde donationes in effectu parùm differunt à pactis propriè usurarijs, quia utrinque lucrum ex mutuo est, non voluntate libera da-

tum;



tum, sed necessitate recipiendæ pecuniæ extor-  
tum. Quare cùm dicimus usutam tantùm ex  
pacto esse, ita explicari debet, ut sit ex pacto vel  
etiam ex tali actu, qui pacto saltem tacito equi  
valeat. atque hanc nostram sententiam docet  
Syll verbo usura. §. I. n. 1. & 2. Cov. variarum  
resolut. libro I. c. ult. n. 4. & Navar. in com-  
mentario de usuris notabili. 10.

Dico denique, lucri causa: & quidem hoc  
lucrum debet esse ex mutuo tanquam fructus  
pecuniæ mutuatæ, non verò ex alia causa pror-  
sus à mutuo separata,

Ideo non erit usurarius censendus Dominus  
vel Parochus, qui colono vel parochiano mu-  
tuò dat frumentum pro semine, aut pecunias  
pro emendis rebus ad culturam agri necessarijs  
ea conditione, ut tanto diligentius, & sine di-  
minutioue pensionem annuam pro locato præ-  
dio rustico, aut decimas persolvat; quia istæ  
pensiones & decimæ debentur ex alia causa  
quàm ex mutuo, scilicet ex contractu locationis  
& jure parochiali.

Item neque ille lucrum capit, sed suum con-  
sequitur, adeoque & ab usura immunis est,  
qui debitori novum mutuum præstat, eo pacto,  
ut id una cum vetere debito tanto citius sibi re-  
stituatur, Henric. Canis. de usuris. c. I. n. 6. arg.  
c. i. in fine de usur.

Præterea aliquando à mutuatario aliquid exi- 4  
gi potest ultra sortem per modum *interesse*, &  
*compensationis*, quando scilicet sua interest, pe-  
cuniā

cuniam non dari mutuo. Unde DD. communiter & rectè usuras dīvidunt, quōd aliae sint merē *lucratoriae*, & propterea illicitae; aliae verē *compensatoriae*, & licitae. Atque hoc interesse creditoris ob quod sit *compensatio*, rursus duplex constituunt: Unum quod vocant *interesse lucri cessantis*, & alterum, *interesse damni emergentis*. Interesse *lucri cessantis* dicitur, quando creditor ex pecunia potuisset alibi honestum lucrum sperare, ut si eandem mercaturæ emendis prædijs, aut redditibus annuis applicasset &c. & nihilominus neglecto illo lucro in gratiam amici mutuam dederit, quo casu non iniquè aliquid ultra sortem petit creditor, ne officium suum, & beneficium alteri præstatum sibi damnosum sit. L. sed si quis. 7. ff. quemadmodum *testam. aper.* Quāvis autem And. Gail. lib. 2. observ. 6. n. 2. ex praxi Cameræ Imperialis non videatur admittere *interesse lucri cessantis*, nisi in mercatore solito negotiari: communis tamen opinio est in contrarium, teste Canisio dicto c. 1. n. 8. Navar. in *Man. Confess.* c. 18. n. 211. nam eadem æquitatis ratio; quæ facit, ut mercator æstimare possit carentiam lucri, etiam in alijs hominibus militat, dummodo quantitas *interesse* hujus arbitrio boni viri æstimetur, & consideretur, lucrum spēratum potuisse varijs ex causis & accidentibus incertum fuisse.

Interesse *damni emergentis* appellatur, quando creditor propterā aliquid exigit à debitore, quod

quod ob mutuatam peccuniam ipse non tantum lucro caruerit, sed insuper damnum aliquod in rebus suis passus sit, ut quia ob defectum pecuniae domus non restaurata corruit; vel quia mutuavit frumentum, & cum id suo tempore non redderetur, creditor interea coactus fuit alibi cariori pretio frumentum emere &c. Ubi sane debitor gravari non debet, ut creditorem indemnem servet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur. *I. non debet. ff. de R. I.* & beneficium creditoris sibi ipsi damnum sit. De utroque hoc interesse *lucri cessantis & damni emergentis*, textus est expressus in *l. 3. §. ultimo De eo, quod certo loco. I. unica C. de sententijs. quae pro eo quod interest &c.* Utrum autem interesse *lucri cessantis, & damni emergentis* in pactum deduci possit, aut peti, etiamsi debitor in mora non fuerit, & nunquam pro solutione interpellatus, in *§. sequenti* dicemus, ubi saepius de hac materia mentio incidet.

Post explicatam usuræ definitionem restat, ut videamus quo iure usuræ prohibitæ sint. Es in primis contra Carol. Molinæum in tractatu de commerciisn. 7. & 11. pro certo tenendum est, usuras etiam juxta moderationem Juris Civilis exercere, esse peccatum, ita ut qui contrarium pertinaciter asserere ausus fuerit, in eum, tanquam hæreticum, animaduerti debeat, juxta constitutionem Concilij Viennen- in cle-  
mentina unica §. sane b. tit.

Etenim ex communij DD. sententia usuræ

non

non tantùm jure humano ecclesiastico, sed etiam divino & naturali prohibite sunt: prout id expressè affirmat Pontifex in c. 4. b. t. ubi dicit: quòd usuras utriusque testamenti pagina detestetur &c.

Quod igitur attinet ad Testamentum Veterum, habetur, Deuter. 23. c. non seneraberis fratri tuo (id est, qui ejusdem fidei est, sicut Apostoli omnes Christianos appellarunt fratres, Actorum 1. & 6. c. & saepius alibi) ad usuram pecuniam vec fruges, nec quamlibet aliam rem. Item Ezechielis c. 18. dicitur, qui ad usuram non commoda verit, & amplius non acceperit, hic justus est, & vita vivet. Denique in Psal. 14. legitur, cum habitaturum in tabernaculo Domini, qui ingreditur sine macula, operatur iustitiam, loquitur veritatem, & pecuniam suam non dedit ad usuram. In Novo Testamento Lucæ 6. c. ait Christus, benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes, hoc est, nihil ultra, quam dedistis, lucri causa recipientes.

**6** Verum contra istos Scripturaræ textus aliqua argumenta opponuntur, quæ breviter refere-  
mus & resolvemus. Primo in illo loco Deuter. 23. dictum est, non seneraberis fratri tuo, sed alieno, ergo videtur consequens, usuras non esse malum intrinsecè, & jure naturæ prohibi-  
tum, alijs Judæis à Deo non fuisset concessum  
usuras erga alienos sive gentiles exercere. Si-  
cuit extra bellum, & sine causa non licet occi-  
dere gentilem & infidelem, cum occisio inno-

cen-



centis intrinsecè & jure naturæ mala sit. &c. Duplē adferri hujus objectionis solutionem, prima est, quòd Judæis olim concessum fuerit usuras exercere cum gentilibus ad vitandum majus malum, ne scilicet cum suis fratribus & Judæis id facerent: Sicut ex D. Tho. refert Canis. dicto c. 1. n. 22. Aliquando enim inter duo mala, quorum utrumque evitari nequit, tolerari potest minus malum ad evitandum mājus. Non quidem approbando, sed dissimulando minus. Altera solutio, quæ magis mihi placet, est, quòd Deus Dominus universi omnēs gentilium facultates, & terras tradiderit in potestatem Judæorum, proinde cūm illas facultates potuerint gentibus per arma & bellum auferre, potuerunt etiam per usuras, sicut Exod. 12. c. eisdem Judæis concessum fuit, ut Ægyptios spoliarent vasis argenteis & aureis ac vestibus sibi commodatis. Quam interpretationem etiam probat D. Ambros: relatus in c. ultim. causa 14. q. 4. cui jure inquit, inferuntur arma, huic jure indicuntur usurae, sine gladio se de hoste uincitur, qui fuerit usurarius exactor inimici. Est tamen advertendum, quòd hoc sensu & causa usura sumatur in generaliori significatione pro quolibet usu vel lucro, non in specie quantum est pactum illicitum & malum intrinsecè; nam tunc usura peccatum est, quando ex sola causa mutus aliquid ultra sortem accipitur; fuscus verò si ex alia causa à mutui separata, ut jure delli teste D. Amb. in d.c.ult. & multò magis jure do.

domini jam prius sibi à Deo addicti. Quemadmodum etiam diximus, esse usuras compensatorias, in quibus ex causa lucri cessantis vel damni emergentis aliquid ultra sortem exigitur, quæ usuræ quidem dicuntur, sed peccaminosa non intelliguntur.

II. Opponitur alius locus apud Lucam 19.  
c. ubi Dominus reprehendit servum, quod pecuniam suam non dederit ad usuram. R. Per hanc parabolam Christum non approbare usuras, sed tantum referre factum hominum, eosque commonere, ut cum in ipsis lucris terrenis & perituri solliciti sint, multò magis debeat esse solliciti in fructu bonorum operum, & lucro vitae æternæ. Sicut etiam de villico defraudante Dominum suum similis parabola apud eundem Luca 16. c. habetur.

III. Videtur quod ille textus Luca 6. c. mutuum date, nihil inde sperantes; sit accipiens tantum de consilio, non autem de præcepto Evangelico. Quia dare mutuum non est de præcepto, sed de consilio & charitate. R. Priorē partem hujus textus videlicet mutuum date non esse quidem de præcepto, esse tamen partem alteram: nihil inde sperantes. Quod debet colligi ex textibus veteris Testamenti prohibentibus usuras, quos supra allegavimus. Nam Christus non venit solvere legem, sed adimplere, Matth. 5. c. Similis textus habetur Psal. 75. Vovete, & reddite Domino Deo vestro, ubi prius verbum vovete, non est præcepti, sed posterius

## DE USURIS.

653

sterius reddite, juxta illud Dester. 23. Si nolueris vovere, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labrys tuis observabis, & facies; si cui promisisti Domino Deo tuo &c.

Quod autem iure naturae, sive naturali ratione tilura illicita sit, probat Covar. resolut. l. 3. c. 1. & cum eo communiter DD. hoc argumento, vel enim creditor capit lucrum ex mutuo pro ipsa sorte, vel pro usu ejus? sed neutro modo citra iniuriam potest lucrum capere. Non enim pro ipsa sorte, quia iustitia commutativa, quae in contractibus observatur, considerat aequalitatem, & non permittit, ut pars contrahens plus reddere teneatur, quam accedit. Ita in permutatione vel emptione pro equo valente in summo pretio centum florenos non potest accipi alius equus, vel quantitas pecunaria centum imperialium. Similiter ergo & in mutuo pro centum florenis mutuo datis non licet accipere plus quam centum florenos. Sed neque pro usu sortis lucrum peti potest, quia unus vel utilitas cuiuslibet ei pertinet ad dominum, mutuatarius autem efficit dominus rei mutuatae (mutuum enim inde nomen accepit, quod ex meo tuum fiat. l. 2 ff. si certum petatur.) ergo ad mutuatarium & non ad mutuantem unus pertinet. Et cum mutuum tantum in pecunia, vino, frumento & similibus rebus usu consumptibilis consistat, usus eius a domino separari non potest, L. hoc Senatus consulto. in fine. ff. de usufructu earum rer. que usu con-

MAN. PAROCH.

Tt sum.



*sum.* Hinc est, quod in contractu locationis si v. g. alteri per annum locem ædes meas, vel agrum meum magis quam in mutuo aliquid peti possit ultra restitutionem domus vel agri, quia in hoc contractu locator manet dominus, & consequenter utilitas ex re sua à conductore percepta ad ipsum respicere debet. Præterea locatio est rerum talium, quæ permanentes usum & utilitatem adferunt, pecunia autem ex sua natura sterilis est, eiisque usus in expонendo seu abusu consistit. Quod & Aristoteles divina lege destitutus solo lumine naturæ agnovit, dum *i. polit. c. 7.* ait: *Maxime preter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in fœnore nummus nummum pariat.*

Si verò alicui istæ rationes nimis subtiles videantur, is apprehendat aliam, quam tradit Corasius lib. 3. *Miscell. c. 21. n. 7.* quod utræ ideo naturali æquitate inspecta illicitæ sint, cum absorbeant egentium fortunas, dum hi in necessitate constituti pecuniis à fœneratoribus sub quacunque lege acceptis tandem ad sumam inopiam redigantur, nova semper debita contrahentes. Item quod iniquum sit, actum charitatis & societatis humanæ, qui in mutu datione consistit, ad proprium lucrum & alterius damnum convertere. Unde si quis objicerit contra priores rationes, credorem saltem aliqua ratione comparari posse dominium retinenti, sicut qui actionem ad rem repetendam habet, rem in suis bonis habere vide-

tut. lo.



ter. l. qui actionem. 15. ff. de R. I. l. id apud se.  
 143. ff. de V. S. l rem in bonis. 52. de acquir.  
 rer. dom. Item quod contractus ex conven.  
 tione partium etiam contra vel præter ordi.  
 nariam suam naturam legem accipient, c. con.  
 tractus. de R. I. in 6. l. contractus. 23. ff. eod. tit.  
 sanè difficultis erit responsio, nisi juxta hanc po.  
 steriorem rationem dicamus, allegatas Juris  
 regulas non procedere, si exinde proximus  
 contra æquitatem & Christianam charitatem  
 damnicetur; ita enim leges ex bono & æquo  
 interpretari oportet, ut sint conformes illi ge.  
 nerali Juris præcepto, alterum non lacerere. §. 3.  
*I, de l. & I. L. placuit. C. de judic.*

Non relevat creditorem si dicat, se debere  
 interim carere pecuniâ cum periculo, ne for.  
 tassis debitor planè depauperetur, & nunquam  
 restituat, atque ideo se non iniquè aliquid ul.  
 tra sorteum petere. Nam cum sit in arbitrio  
 creditoris, an velit mutuare, nec ne, sola care.  
 nia pecuniæ quæ ex ipsius voluntate processit,  
 non est justus titulus ad aliquid amplius exi.  
 gendum, nisi sit conjuncta cum interesse lucra.  
 cessantis vel damni emergentis. Periculum vero  
 amittendæ sortis aliquando quidem facit Jus,  
 ut rectè aliquid præter sortem petatur, sicut in  
 §. sequenti dicemus, sed id tunc demum: si  
 per pignora aut fidejussores non possit credito.  
 ris satiscautum esse: debet quoq; cogitare, etiam  
 retentam domi pecuniam non fuisse extra o.  
 mne interitus periculum.

Tt 2

Deinde



9 Deinde etiam hic obiter notari potest, si quis à te roget mutuam non causa necessitatis suæ, sed utilitatis quærendæ, voleus honestam negotiationem instituere, prædia emere, & lucrum ac fructus ex hac pecunia quærere, poteris cum eo tale pactum facere, ut is præter pecuniam acceptam teneatur tibi aliquam partem lucri restituere & communicare, talis namque contractus in effectu est species *societatis*, contractus de Jure gentium liciti, in qua alter pecuniam, alter operam confert, §. 2. *Inst. de societate*. Imò sicut in multis contrahibus mutui nomen non habentibus, cum gravaminetamen proximi initis, potest latere implicitum mutuum & usura, per ea, quæ tradentur in §. seq. ita, cùm contrariorum eadem sit ratio, sub nomine *mutui*, præsertim à plebeis, & Jurium ignaris prolatō, ubi proximi potius augmentum, quād damnū quæritur, potest subesse implicitus aliis contractus societatis, emptionis, census &c. ut inferius ad fin. cap. dicemus.

10 Cæterū cùm usura Jure divino & naturali prohibita sit, non potest ullo modo fieri licita, nec dispensatione Pontificis, qui non dispensat contra Jus divinum & naturale, c. *super eo. h. tit.* nec consuetudine, quia Jus divinum & naturale sunt immutabilia, §. *sed naturalia*. *Inst. de I. N. G. & C.* & diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat: & multitudo peccantium non parit peccato-

patro-



patrocinium. cap. ult de consuetudine: nec favore piarum causarum, videlicet ob utilitatem Ecclesiæ, pauperum, vel redemptionem captivorum, dicto c. 4. b. t. c. 1. & seq. causa. 14. q. 5. Immolantis enim ex iniquo oblatio est maculata, & dona iniquorum non probat Altissimus. Eccles. 34. nec denique ex legibus & statutis Principum ac Dominorum lœcularium, quia nec ipsi in materia peccati aliquid contra Jus divinum statuere possunt, Clementina unica. h. t.

Unde quamvis leges Civiles permiserint usuras personis illustribus, & negotiatoribus cum quadam moderatione, ut scilicet maximæ usuræ essent duodecim pro centum, idque solùm in favore nautico, ubi periculum erat mutuantis; communes verò usuræ octo, sex vel etiam quatuor pro centum, sicut ex l. eos. C. de usuris. interpretatur Less. l. 2. c. 20. n. 33. has tamen leges non excusare à peccato (nisi quatenus interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, aut justa ratio periculi concurrit) contra Carolum Molinæum loco supra citato communiter sentiunt Catholici DD.

Sed ijdem DD. concedunt, ad vitandum majus malum valere legem, quæ certum modum usuris statuat, non quod exinde usuræ licitæ reddantur, sed ne usurarij sub alio prætextu lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi, nimium à debitoribus extorqueant. Prout homodie in Imperio passim usitatum est, ut 5. pro 100.

T. 3 exi-

exigantur, quare qui secundum talem moderationem usuras exegerit, in foro externo, quantum ad poenas non censabitur usurarius, eo quod presumatur, has usuras non esse meret lucratorius, sed compensatorias lucri cessantis vel damni emergentis, cum quilibet ex 100. facilè annuatim possit s. lucrari, si pecuniam emendis prædijs aut alteri honesto negotio applicet.

Interim tamen, si pecunia revera apud mutuantem suisset otiosa, & nihil sua intersit, eam mutuo dari, volunt plerique, talem in foro interno seu conscientia (ubi non ex presumptione, sed ex veritate proceditur) haud esse immunem ab usura, praesertim si debitor necessitatis causâ non lucri & utilitatis, sicut paulò superius diximus, pecuniam mutuam accepit, videatur Henr. Canis. de usuris. c. 1. n. 9. ubi ex verbis Recessus Deputatorum Imperij Spiræ celebrati Anno 1600. & à Rudolpho II. confirmati, demonstrat, Jure Imperii s. pro 100. tantum ex presumptione lucri cessantis vel damni emergentis permitti.

¶ Præterea in c. 1. b. t. in 6. graviter, & sub censuris prohibet Pontifex, ne Christiani, praesertim Ecclesiastici, in suis terris alienigenas exercentes usuras habitare permittant: & mortaliter adversus Justitiæ legem peccare Magistratus, ait Paul. Laym. in Theol. moral. lib. 3. tractat. 4. c. 6. sub n. 4. qui Judæis aut aliis, usurarum licentiam dant cum obligacione seu pacto magni tributi solvendi, ex hoc enim

enim cooperantur peccato usurarum, & inde  
sit, ut ad solvendum istud tributum Judæi vel  
alii usurarii usuras augere & pauperes magis  
opprimere cogantur.

Demum pro coronide hujus §. etiam in- 12  
quirendum est, an non tantum creditor peccet  
exigendo usuras, sed etiam debitor eas promit-  
tendo? Negativa tatis evincitur ex c. debitores.  
6. X de Jurejurando. ubi dicitur, quod debitor,  
qui sub juramento promisit, solvere usuras, te-  
neatur, hoc juramentum servare, quamvis po-  
ste à authoritate Magistratūs creditor compelli  
debeat, ut usuras restituat. Unde subsumitur,  
obligatio, cui accedens juramentum validum  
est, & servandum, non est peccaminosa, quia  
juramentum cum peccato & contra bonosmo-  
res non est obligatorium juxta regulam 48.  
juris. in 6. sed huic obligationi, quā debitor  
promittit solvere usuras, potest accedere jura-  
mentum validum, & servandum, ergo &c.  
Et quidem quod debitor non peccet peccato  
usuræ, res per se clara est, neque enim ipse lu-  
crum ex mutui querit cum alterius gravami-  
ne, sed ipsem gravatur, & alteri in re sua lu-  
crum concedit. Tota vero difficultas est, an  
non peccet debitor tanquam complex & con-  
sentiens peccato creditoris? Nam si debitor  
usuras non promitteret, creditor exigere non  
posset, Apostolus vero ad Rom. 1.c. in fine con-  
sentientes peccato & equiparat peccatum facien-  
tibus. Nihilominus dici potest, illum consen-  
tum

sum esse peccatum, qui non tam ex necessitate, quam ex complacentia peccati procedit, vel qui est causa peccati in altero. At debitum promittens usuras nec habet complacentiam in peccato usurarum, vellet enim mutuum gratis accipere; nec movet creditorem ad usuras exercendas, cum is alias ita constitutus supponatur, ut sine usuris credere pecuniam nolit, sed necessitate magis accipiendae pecuniae consentit, veluti si latroni exigenti pecunias promittat, utique per hoc non dicetur peccaminosè in peccatum latrocinii consentire.

## §. II.

De specialibus quibusdam Pactis an  
sint usuraria?

## SUMMARIA.

1. An oporteat interesse in pactum deducere?
2. Propter periculum aliquando potest aliquid exigi ultra sortem.
3. Explicatur c. naviganti de usuris.
4. Montes pietatis an usurari?
5. Disputatio de pacto antichrysios.
6. Pactum de retrovendendo an lititum.
7. Olla fortuna excusatur ab usura & ab iniquitate, non tamen expedit Reipul.
8. Venditor ob dilatam solutionem an possit pretium augere.
9. Sitne licetum emere chyographa debitorum pro minori pecunia.
10. Examinatur prolixè contractusensualis.

II. In



- II. In specie de censu personali, & qualiter differat à mutuo.  
 12. De Cambio, & ejus lucro.

**Q**uartitur primò, an interesse lucri cessantis, 1  
 vel damni emergentis possit à creditore  
 statim tempore dati mutui in pactum deduci?  
 Respondeo affirmativè, nam quod justè possum  
 exigere, possum etiam in pactum & obligatio-  
 nem expressam deducere. Imò si creditor ab  
 initio hoc interesse in pactum non deduxerit,  
 ex postfacto non poterit id aliter ab invito de-  
 bitore petere, quam si debitor *in mora* fuerit,  
 hoc est, si interpellatus à creditore (qui voluit  
 alibi honestum **lucrum** querere, vel damnum  
 emergens præcavere) non solverit, alias enim  
 debitor rectè excipiet, si seivisset, tanti credito-  
 ris ob mutuatam pecuniam interesse, se vel pe-  
 cuniam ab ipso non fuisse mutuam acceptu-  
 rum, vel certè interpellatum fuisse illico solu-  
 turum, si tamen mutuum ad certum tempus  
 contractum sit, tunc elapso illo tempore si de-  
 bitor non solverit hoc ipso & sine alia interpel-  
 latione constituitur *in mora*, nam dies interpel-  
 lat pro homine, *Laym. dicto loco, n. 10. Nav.*  
*in manuali. c. 17. sub n. 211.*

**Quær. II.** An, & quando ratione periculi a- 2  
 mittenda sortis, seu summæ capitalis mutuatæ  
 possit aliquid exigi? Plurimi DD: tam Recen-  
 tiores, quam veteres sentiunt, res suas expo-  
 nere periculo ob gratiam alterius esse pretio  
 estimabile, cum nemo teneatur gratis pro al-

Tt s tero

tero curas suscipere, & res suas jactare, proinde creditorema citra iniuriam posse aliquid pro hoc periculo exigere, si illud subeat mutuando debitori, & debitor vel non velit, vel non possit dare pignora, aut fidejussores in securitatem debiti, *Lef. libro 2. c. 20. dubio 13.*

*Covar. Arrog. Major. & alij apud Salas tract. de usur. c. 22. n. 33. ejusdemq; sententiae dicitur esse D. Thom. opus. de usur. c. 10. Qua ratione etiam sustineri posset talis contractus, si quis alicui det centum florenos eo pacto, ut si sacerdos factus fuerit, & beneficium obtinuerit, restituat centum & decem florenos, sin minus, nihil teneatur restituere. Item si quis mercatori trans mare eunti mutuet centum ea lege, ut si salvus redierit, reddat 120. si vero navis perierit, ipse vel ejus heredes nihil reddere obligati sint. Dummodo in his & similibus casibus verum & probabile periculum sit amittendae fortis mutuatæ, quodque periculum iudicio prudentum virorum tanti valeat, quanti id aëstimat mutuator, & pro eo ultra sortem petit.*

3 Verum contra hanc doctrinam pugnat expressus textus in c. naviganti b. t. ubi dicit Pontifex. *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecunia quantitatem; pro ea, quod suscepit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Diversi diversas excoitarunt hujus cap. interpretationes, ex quibus duæ mihi videntur præferendæ. Prima est, quod in

in hoc textu omissa sit particula, non & legendum: *usurarius non est censendus*, quod valde arguunt verba sequentia, dum ibidem statim subiungitur *et ille quoque, qui dat. 10. solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensura reddantur, quæ licet runc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore sint valitura, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* Ecce hic in primis Pontifex per illam particulam collectivam, *ille quoque*, videtur inter hunc & priorem casum paritatem facere, alias enim posuisset particulam aliquam adversativam, v. g. *ille vero aut ille est contra*, denide in posteriori casu propter periculum minuendi valoris earum rerum quas mutuator loco pecuniae stipulatus est sibi dari excusat, ab usura, ergo etiam & multo magis periculum amittendi totius capitalis ab usura excusabit, ubi enim eadem est ratio, eadem est juris dispositio.

Si vero alicui magis placeat servare verba prout vulgariter in Corpore Juris ponuntur, is dicere potest, secundo, textum in dicto e. na viganti, accipiendum esse de eo, qui ut possit aliquid ultra fortrem lucrari, non vult alter mutuare quam sub tali pacto recepti in se periculi, hic propterea usurarius taliter mentalis est, quod cogat mutuatarium pecuniae indigum tale pactum secum inire, qui fortassis mallet ipse periculum (quod sperat non adeo magnum futurum) subire, ne teneatur aliquid ultra fortrem solvere. Ita hanc interpretationem

ex



ex Syl. Medina & alijs adfert Lef. dicto. c. 20.  
n. 116.

*Quær. III.* Quid sint *Montes pietatis*, & quare ratione ab usura defendantur? *Ré.* *Montes pietatis* in Italia & alijs etiam locis esse usuratos, & dici æraria publicè constituta, ut ad ea indigentes quasi ad montem refugium habeant, nemagis ab alijs usurarijs opprimantur. Nam ex his ærarijs sive *montibus* datur mutuum indigentibus ea lege, ut pro mutuo pignus relinquere cogantur, & intra certum tempus recepto pignore pecuniam mutuatam restituere, ac insuper exiguum aliquid adiucere: si autem inter tempus præfinitum debitum solutum non sit, pignus vendi possit, ut detracta forte, exiguoque illo adjecto residuum de aestimatione pignoris debitori restituatur.

Porro quia ut dictum debitor ex his *montibus* accipiens mutuum tenetur præter sortem etiam aliquid saltem modicum adiucere, olim valde dubitabatur, an hoc institutum *montium* non esset usurarium censendum? sed Leo in Concilio Lateran: *fess.* 10. unacum ipso Concilio hos *montes* tanquam pium institutum approbavit concedens indulgentias adjuvantibus & erigentibus, pro ut in *Tom. 4. Concil.* habetur. Item Concilium Trid. *fess.* 22 *de reformatiōne c. 8. 9. & 11.* inter *pia loca* etiam *montes pietatis* numerat. Ratio vero, quod isti montes usurarij non sint, ea redditur, quod in ijs ultra sortem aliquid detur non tanquam lucrum ex

mu-

mutuo, sed pro sumptibus necessarijs ad montis  
conservationem præ stipendio ministrorum,  
qui montem administrant, & semper parati esse  
debent ad mutuandum, ad pignora recipienda,  
custodienda, pro libris rationum cæterisque  
necessarijs.

Quær. IV. Qid sit pactum *antichryseos*, & an  
citra usuram fieri possit? R. Antichrysim esse  
pactum inter creditorem & debitorem, ut cre-  
ditor tam diu pignore uti, & fructus ejus lucra-  
ri possit, usque dum sibi pecunia mutuo data  
à debitore restituatur. *Antichrysis*. enim græcè  
significat *contrarium* sive *mutuum usum rei* scilicet  
in pignus concessæ pro usu pecuniæ mutuo  
datae, *textus C DD. in l. si pecuniam. 33. ff. de*  
*pignoratitia act. Et l. si is qui. 11. §. 1. ff. de pig-*  
*noribus. de hoc igitur pacto magna est contro-*  
*versia, an sit usurarium censendum? Enimvero*  
pro negativa ( quam sustinet Alciatus libro 2.  
d. c. 3. & alij apud Minsyngerum Cent. 6. obser.  
71. & And. Gail. lib. 2. obseru. 3. ) militant a-  
liquot argumenta, primò, quòd pactum *anti-*  
*chryseos* dissentè approbetur in dicta l. si. pecu-  
niā. & l. si is qui. item in l. si ea. 17. C. de *usuris*.  
secundò in c. I. X. de *feudis* dicitur, dominum  
lucrari fructus ex re feudalī sibi à vasallo oppig-  
norata. Tertiò in c. *salubriter. 15. h. t.* decidit  
Pontifex, quòd maritus pro dote uxoris sibi  
debita accipiens à socero pignus lucretur fructus  
hujus pignoris, & non teneatur, ob fructus  
interim ex pignore perceptos minorem dotem  
accep-

acceptare. Quartò nihil videtur continere ini-  
quitatis, si creditor ex fructibus pignoris lu-  
crum faciat propter culturam & curam, quam  
in illis ferendis & colligendis impedit, arg. §.  
*si quis à non domino. 35. Inst. de rerum divisione.*  
ubi dicitur, bonæ fidei possessorem ex re aliena  
lucrari fructus saltem consumptos propter cul-  
turam & curam, quam rei alienæ adhibuit.  
Quintò denique, si creditor emeret pignus pro  
ea summa, quam mutuare vult, cum pacto;  
ut pro eodem pretio licet debitori quando-  
cunque placuerit redimere, validum esset pa-  
ctum, & creditor haberet rem, ex eaque fru-  
ctus perciperet, usque dum sibi à debitore pre-  
mium redderetur, *l. 2. C. de pactis inter empt. &*  
*vendit.* ergò si hoc licet creditori per pactum  
emptionis, licebit etiam per pactum *antichry-  
sos;* vel enim utrumque est justum, vel neu-  
trum, cum utriusque idem sit effectus, neque  
unâ viâ debeat permitti, quod aliâ prohibetur  
juxta regulam 84. *juris in 6.*

Verūm contraria sententia & quod pactum  
*antichryseos* regulariter usurarium reputetur,  
apud Theol. cum D. Thom. Caiet. Soto, & a-  
lijs, ac Juris Canonici interpretes hactenus pre-  
valuit teste Hen. Canis. *de usaris. c. 5. n. 15.*  
Paulo Lay. *dicto c. 16. n. 17.* quibus adstipula-  
tur Panor. *in c. 1. n. 2. b. t. & Covar. var. re-  
solnt. l. 3. c. 1. n. 3.* fundamentum est in c. 1. &  
2. h. t. ubi aperte deciditur, fructus pignoris si-  
ne usura non cedere lucro creditoris, sed impu-  
tan-

tandos esse in exonerationem sortis, quatenus  
deinde minor sors, seu minus capitale restitu-  
tur, quo plures fructus ex pignore percepti sunt.  
Etenim ut praecedenti §. dictum usura est, quid-  
quid ex mutuo pretio æstimabile per pactum  
creditor lucratur, sed hic per pactum *antichry-  
mos* mutuo accedens lucratur fructus pignoris  
ergo &c. Huc etiam facit lex. I. 2. § 3. C. de  
*pignoratitia actione*, ubi clare constituunt Im-  
peratores, *ut fructus pignoris in sortem imputen-  
tur*. Ita tamen hæc sententia declaranda est, ut  
fructus non possint cedere mero lucro credito-  
ris. Secus autem si quosdam fructus velit rea-  
tinere jure compensationis, scilicet ratione *lus-  
tricessantis, danni emergentis, suscepiti periculi,  
vel expensarum in custodiendum pignus, vel col-  
ligendos fructus factarum*, non enim dicuntur  
fructus nisi deductis expensis. I. fructus. 7. ff. so-  
luto matrimonio.

Ad argumenta superius in contrarium alla-  
ta responderi potest, & quidem ad primuni, i. se  
pecuniam. cum alijs citatis, nihil relevare, eo  
quod leges Civiles petmittentes usuras, ac usu-  
rarios contractus abrogentur per SS. Cano-  
nes. Clem. unica h. t.

Ad secundum dicitur, speciale esse in feudo,  
ut Dominus ex eo sibi à vasallo oppignorato  
fructus lucretur per d. c. I. X. de feudis. & c.  
corqueffus. h. t. quod & idem de emphyteusi  
asserunt D.D. dummodo interea vasallo servi-  
ta, si quæ ex feudo præstare debeat, & em-  
phy-

phyteutæ canon remittatur. Rationem verò specialitatis assignat Hostiensis & Panorm. in d. c. i. quod hæc sit natura feudi, & emphyteusis, quam habet ex prima sui institutione, conventione, vel consuetudine, cum enim in feudo & emphyteusi directum dominium maneat penes dominum, & tantum utile transeat in vasallum, & emphyteutam, per oppignorationem verò res tota revertatur ad dominum, videtur convenientius, ut ea potius ipsi domino, quam alteri fructificet.

*Tertium* similiter singulare est, quod maritus ex re pro dote uxoris oppignorata fructus lucretur, idque ob compensationem *lucri cessantis*; nam si dotem ipsam haberet, ex ea fructus omnes lucraretur propter onera matrimonij, quæ subire debet, *l. dotis fructum. 7. f. de jure dotum.* ergo cum istud justum lucrum fructuum dotalium ob dotem non solutam marito absit, meritò compensationem facit ex fructibus rei pro dote debita oppignorata, prout idem facere posset creditor quilibet in pignore; si sua intereslet ratione *lucri cessantis* vel *damni emergentes*, ut dictum.

Ad quartum respondet Henr. Canis. de usuris. c. 5. n. 25. quod sibi imputare debeat creditor, qui *culturam & curam* ex contracitu illico in rem alienam impendit, ut propterea idem creditor non *bonæ fidei*, sed *malefidei*, possessori sit potius comparandus, qui ob culturam & curam nullos proflus fructus lucratur, sed

sed universos restituere tenetur. *l. certum. 22. C.*  
*derei vindicatione.* & licet fortè creditor fuerit  
 in errore juris putans, fructus pignoris posse ex  
 pacto suo lucro acquiri, nihilominus sciendum  
 est, errorem juris non prodesse, acquirere & lu-  
 crari volentibus, *l. Juris. 7. ff. de juris & factis*  
*ignorantia.*

Ad quintum dicendum, inter emptionem pi- 6  
 gnoris cum pacto redimendi, & inter pactum  
*antichrysios* magnam esse differentiam. Nam si  
 creditor pignus emerit, deponitur qualitas cre-  
 ditoris mutui, & pignoris, & emptor efficitur  
*Dominus*, & fructus lucratur jure *domini* ex re  
 sua. Et deinde re empta casu fortuito v. gr. in-  
 tendio pereunte ratione potest amplius repetere  
 pretium, quia res perit suo domino, *toto l. ff. de*  
*periculo & comenodo rei venditae.* quæ omnia se a-  
 liter habent in pacto *antichrysios*, ubi creditor  
 non efficitur dominus pignoris, & consequen-  
 ter fructus percipit ex te aliena, atque pignore  
 sine tua culpa pereunte nihilominus pecuniam  
 mutuatam repeterem potest. Interim licet emptio  
 cum pacto redimendi ordinatio jure permis-  
 sit, *d. l. 2. C. de pact. inter empt. & venditor.* &  
*etiam antichrysos* hoc pacto, sicut & alijs titulis,  
 ex quibus justè aliquid ultra sortem exigitur, co-  
 honestari possit, teste Laym, *in Theol. moral. lib.*  
*3. tr. 4. c. 16. n. 17.* id tamen procedit, si omnia  
 bona si de agantur, si nimisrum res justo pretio  
 vendatur: & creditor non sit solitus usuras ex-  
 ercere cogens debitorem pecunias iadigum ad

M A N. P A R O C H. VV talent

talem contractum alias non mutuaturus. nam ex modicitate pretij, consuetudine fenerandi, & si rem intra certos annos non licuerit venditori redimere, aliquando emptionem cum pacto redimendi censeri contractum usurarium, & præsumi tantum fictam emptionem, in effectu autem esse mutuum cum lucro ex pignore, tex-tus sunt in e. ad nostram de empt. & vendit. c. 4. de pignoribus. l. 3. C. plius valere quod agitur &c. & videri poterit Fachin. l. 2. controv. c. 12.

Similiter, si quis conténderet, antichrysin posse reduci ad aliquem contractum innominatum, do ut des, facio ut facias &c. concedo tibi usum mei prædij, ut mihi concedas usum tuæ pecuniae &c. id fortassis transiret, si nihil in fraudem usurarum attentaretur, & contractus innominatus qui certam legem non habet, sed totus ex conventione & prescriptis partium verbis dependet & regulatur. L. 3 & seqq. ff. de prescript. verb.) ita clausuletur, ut neutri parti gravis sit, & notabiliter, præserim ratione periculi interitus, à mutuo differat, possunt enim contractus innominati naturam nominatorum assu-mere, L. 5. ff. de prescript. verb.

**Quaritur V.** Utrum Olla fortunæ passim in Germania usitata contineat usuram vel iniquitatem, si Exempli gr. aliquis pro sex crucigeris extrahat schedam signatam, & is qui præst ollæ, debeat ipsi dare rem valentem cen-tum flor. econtra, si alius imponat 30. flor. & pro illis meras schedas vacuas recipiat?

Respon-



Respondeo, Ollam fortunæ satis probabilitet  
 ab usura, & iniquitate defendi posse; ab usura  
 quidem, quia non intervenit contractus iuratus,  
 in quo solo propriè committi usuram superius  
 in §. 1. diximus. etenim hæc olla fortunæ non  
 immerito ad contractum emptionis & vendi-  
 tionis revocari potest, in quo pecunia pro pre-  
 tio, & spes rei accipiendæ pro merce fit. prout  
 in l. nec emptio. 8. §. aliquando. ff. de contrahenda  
 emptione Aliquando, inquit jurisconsultus sine re  
 emptio intelligitur, veluti cùm quasi alea ( id est ca-  
 sus, fortuna, vel eventus dubius ) emitur, cùm ca-  
 ptus piscium, avium vel missilium emiur, etenim  
 emptio contrahitur: et si nihil inciderit, quia spes em-  
 ptio est. & hinc qui v. g. à pescatore vel auceps  
 pro imperiali emerit, quod media die captu-  
 rus est, tenetur solvere pretium, et si nihil ca-  
 ptum sit; & è converso pescator & auceps tene-  
 tur tradere, quod cepit, et si longè pluris æsti-  
 metur. Ab iniquitate quoque defendi potest olla  
 fortunæ, dummodò de cætero fraudes in signa-  
 tione, impositione vel extractione schedarum  
 non committantur: quia in ea pretium non mea-  
 timur secundum valorem rei extractæ, sed jux-  
 ta spem & incertitudinem lucri vel damni. Ve-  
 rum licet olla fortunæ in se & cæteris paribus ne  
 suraria nec iniqua sit, quia tamen non longè  
 abicit à lusu aleorum, qui prohibetur in toto tit.  
 de aleotoribus. & multiæ circa eam fraudes com-  
 mitti possunt, atque curiosi pecunias prodigunt,  
 illi vero, qui erigunt ollam, pecunias extra civi-

tatem & Provinciam avehunt, idèò à prudenti-  
bus Magistratibus non semper tales ollæ tol-  
rantur.

**8** *Quaritur VI.* Utrum usuram committat,  
qui rem carius vendit propterea, quod pretium  
non statim numeretur, sed ejus solutio in aliud  
longius tempus differatur? **R.** cum Panorm. &  
alijs in cap. in civitate. 6. h. t. taletm contractum  
in foro quidem externo rariis censi nomine  
usuratum, cum non sit formale mutuum, in quo  
solo propriè usura committitur, in foro tamen  
interno saepius esse usuram, eò, quod hæc ven-  
ditio saltem in effectu & implicitè contineat in  
se mutuum, & venditor censeatur brevis manus  
pretium emptori usque in tempus solutioni de-  
stinatum sub usuris credidisse & mutuasse. sicut  
tamen alias in mutuo propter lucrum cessans vel  
damnum emergens potest aliquid ultra fortem  
accipi, ita etiam in hoc venditionis contractu  
poterit venditor rem pluris aestimare, si sua in-  
tersit pretium non statim persolvi. Et præterea  
si dubium sit, an res vendita tempore solutionis  
sit plus vel minus valitura, & venditor non fuisset  
eum prius venditus nisi in singularem gra-  
tiam emptori, propter istud dubium etiam ven-  
ditor ab usura excusat in dict. cap. 6. & cap.  
ult. vers ille quoque. h. t.

**9** *Quaritur VII.* An usurarius, vel illicitus sit  
contractus, si quis alienum debitum, nomen, seu  
Chyrographum emat, aut sibi cedi faciat pro mi-  
nore quantitate, quam in se contineat, v. g. si  
pro debito 1000. flor. numeret 600.? **R.**

R. Imprimis satis tum jure, tum usu rece-  
ptum esse, credita seu (ut juris periti appellant)  
*Nomina & Chyographa* tanquam mercem ido-  
neam posse in contractum emptionis deduci e-  
tiam invito debitore. L. nominis. 3. C. de heredita-  
te vel actione vendita. L. 1. C. de novat. dum mo-  
do sint debita liquida, nam alienas lites & debi-  
ta illiquida seu controversa & litigiosa emere se-  
verè in jure prohibitum est, tex. & interpp. in l.  
per diversas. & l. ab Anastasio. C. mandati. t. t. C.  
de litigiosis. Pan. ad c. fin. X. de alien. judic. mut.  
caus. facta. Wesenb. ad tit. ff. de hered. vel act. ven.  
Et quidem si in ejusmodi debitis ambigua (de  
facto, non de jure) aut difficilis sit executio so-  
lutionis, ita ut pecunia sine molestijs, vel sumptui-  
bus à debitore acquiri non possit, vel si in favo-  
rem venditoris expositum pretium potuisset  
empor aliorum cum majori lucro applicare, &c  
sic lucrum cessans, vel damnum emergens cum tali  
emptione concurrat, omnes consentiunt, quod  
debitum arbitrio boni viri consideratis omni-  
bus circumstantijs possit etiam longè minoris  
emi, quam in se contineat.

Verum si debitum facile obtineri possit, nec  
propter pretium aliquid intersit emptoris, non  
est una omnium sententia, an tale debitum mi-  
noris emere liceat? R. Esse distinguendum, an  
facilitas solutionis proveniat ex qualitate ipsius  
debiti, ut quia debitor semper paratus est illud  
solvere; vel an tantum ex qualitate emptoris, ut  
quia is ex speciali Principis gratia, vel alio si-

gulari medio solutionem obtinere potest, quæ  
aliàs ægrè obtineretur.

Ptimum casum magis speculativum, quām  
practicum centet Card. Lugo de *J. & J.* tom. 2.  
*disp. 36. sect. 7. §. 1. n. 96.* quòd vix contingat  
debitum emi sine omni difficultate exactionis,  
periculo, vel interesse. si tamen contingat, ut  
v. g. creditor pecunia indigus ob repentinum  
discessum, vel aliud repentinum accidentis mox à  
debitore habere non posset, ideoque alteri pro  
parata pecunia suum creditum liquidissimum  
venderet, ipse putarem tutius fore in conscientia  
non licere tale debitum minoris emere, sicut  
cum Medina, *Sylv.* & alijs docet Lessius de *J.*  
*& J. lib. 2. cap 21. n. 71.* nam inter mercem  
& pretium debet esse æqualitas, non est autem  
æqualitas si v. g. pro 100, dentur 90. & aliàs  
multæ usuræ palliari possent, si usurarius dice-  
ret, se nolle mutuare, velle autem ab illo, qui  
mutuum petit, emere chyrographum 100. flor.  
pro 90. & sic in effectu nihilominus 10. pro  
100. lucraretur. Non est tamen omnino erro-  
ris damnanda altera sententia, quæ concedit ali-  
quanto modicè minus pretium dari: quòd  
communi hominum estimatione minus valere  
censeatur pecunia futura, quām præsens, sicut  
minus est actionem habere, quām rem, *L. minus.*  
*250. ff. de R. I.* neque emptio sine omni proflus  
commodo celebrari soleat, *Innos. & Pan. int.*  
*in civitate. de usur. Nav. in Man. 6. 17. n. 230.*

In secundo casu, quando facilitas solutionis  
per

per accidens provenit ex persona emptoris , exi-  
stimat Less. d. l. n. 76. & Molin. de j. & j. tr. 2.  
diff. 361. posse debitum emi extra injustitiam se-  
cundum illam estimationem , quam conside-  
ratâ difficultate solutionis communiter apud al-  
ios & in foro habet, illud enim justum rei pre-  
mium censetur , quo communiter apud homines  
estimatur. sicut in simili, qui gemmam sine o-  
mni suo labore & sumptu inventam aut dona-  
tam accepit , potest absque injustitia eam tanti  
vendere, quanti communiter solet vendi ab ijs ,  
qui similes gemmas magnis sumptibus con-  
quirunt. fatetur tamen Lessius sàpè peccare ta-  
les emptores saltem contra charitatem ( quod  
etiam grave peccatum est, quamvis ordinariè ad  
restitutionem non obliget ) si miseris & indi-  
gentibus hominibus non majus pretium per-  
solvant, cum ipsi nonnunquam ingens lucrum  
reportent. Item Officiales Principum , qui se  
in solutionibus debitorum difficiles exhibent , &  
ita indirectè cogunt creditores ad sua debita vi-  
li pretio vendenda, quæ ipsi coëmunt , haud du-  
biè graviter contra justitiam peccant, & ad resti-  
tutionem obligantur. Less. d. l. si enim possunt  
sibi solvere, poterunt utique & alijs , quibus ex  
justitia debetur. & si creditores velint ultrò pro-  
pter publicam necessitatem aliquid remittere,  
profectò justiùs est, ut illa portio remissa accre-  
scat æratio Principis pro publico bono, ne sub-  
dit gravioribus contributionibus onerentur.

Quid ergò , si creditor velit suum creditum

Vv 4

mino-

minoris vendere, poteritne ab ipso debitore, si vis  
iis Princeps sit, sive alius, minori pretio emi? R.  
Si debitor ipse sit causa difficultis solutionis, uti-  
que sine iniustitate & onere restitutionis emere  
minoris non poterit, secus verò, si propter ino-  
piam aut alium casum totum solvere nequeat,  
tunc enim non apparet, cur debeat esse deterio-  
ris conditionis, quam quilibet alius extraneus,

*Nav. d. l. Less. d. l. n. 70.*

Advertendum tamen, si in præmissis casibus,  
& juxta dicta aliquid contra charitatem vel ju-  
stitiam peccetur, hoc peccatum non statim esse  
reducendum ad usuras, & usurarum pœnas,  
quia in *emptione*, & non in *mutuo* committitur  
per tradita superius §. 1. n. 2. nisi in fraudem  
usurarum mutuum tali aliquo contractu pal-  
lietur.

10 *Quæritur VIII.* Quid sit *contractus censualis*,  
an & quando *usurarius* judicandus? *Census* ve-  
teri jure Ramano à *censendo* seu *æstimando* di-  
cebatur *æstimatio patrimonij subditorum*, unde  
tributum Cæsari vel Magistratui solvere tene-  
bantur, *i. forma. ff. de cens. l. 2. & 3. C. eodem.*  
sed & ipsum quoque tributum *census* vocabatur  
juxta illud *Matth. 22.* licetne censem dare Cæsar  
*Ec. de jure* verò *Canonico* & ad propositum  
*census* vel *contractus censualis* est *jus per emptio-*  
*nem aut similem contractum acquisitum redi-*  
*tus annuos ex re, vel industria aliena provenien-*  
*tes percipiendi.* Dico, ex *re* vel *industria.* Nam  
*census* dividitur in *realem* & *personalem.* *Realis*  
*cen-*

*census* est, qui fundatur super certa re una vel pluribus. e. g. si à Titio emam jus percipiendi illos redditus, quos ipse annuatim ex domo vel prædijs suis percipit, quare hic census cum realis sit, & rei inhærens comitatut rem ad quemcunque possessorem deveniat, sicut servitus ad aliud onus reale.

*Personalis census* est, qui fundatur super certa persona, quæ se obligat ad annuam pensionem, non tam respectu certæ rei, quam potius respectu lucri acquisiti ex propria industria, puta si illa persona exerceat negotiationem, opificium aut artificium; nisi quod subinde ad debitum securitatem certus fundus hypothecæ subjiciatur, non tamen cum jure, ex illo fundo fructus percipiendi.

Uterque census tam *realis* quam *personalis* plerumque solet habere pactum redimendi, ut scilicet ille, qui censum ex re vel industria sua vendidit, possit hunc censum rursus redimere, si emptori pretium pro venditione census acceptum denuò restituat. Imò frequenter census ex utraque parte redimibilis constituitur, ita ut non tantum vendor possit restituere pretio censum redimere, & se vel res suas ab hoc onere liberare, sed etiam ipse emptor possit venditori rursus jus suum cedere, ab eoque pretium pro censibus datum repetere.

Verùm quia talis contractus censualis prima fronte nihil videtur differre à mutuo sub usuris contracto, quia & in mutuo debitor mutuum

Vv s

acce-



acceptum pro libitu restituere, & creditor illud repetere potest, interim usuræ annuæ & pensiones ex mutuo præstandæ sunt, ideo inspicendum est, utrum tales contractus censuales sine peccato usuræ sustineri valeant? Respondeo itaque primò censum *realem* ex parte solius venditoris redimibilem esse contractum licitum & non usurarium, per expressam declarationem Pontificiam in extravag. 1. & 2. de empt. & vend. inter com. dummodo census eo pretio ematur, quod consuetudo loci vel Magistratus justum decrevit, prout consuetudine Germaniæ receptum, ut 5. floreni anni redditus emantur pro centum florenis.

Est etiam inter hunc *contractum censualem* & inter *mutuum* notabilis differentia, quæ ex communi DD sententia aperte colligitur in civitatis extravagantibus, nam in *mutuo* bonis & facultatibus debitoris casu aliquo pereuntibus nihilominus pecunia mutuata cum usuris repetitur, at verò in *contractu censuali* seu *emptione* census *realis* si res, ex qua redditus annuus sive census emptus est, intereat, census quoque & facultas repetendi pretium interit.

Similiter si propter sterilitatem aut aliam causam res censualis non tantos fructus proferat, ut integræ pensioni sufficient, non tenetur debitor seu venditor censū totum censum solvere, nisi antecedentium aut subsequentium annotum fertilitas talem sterilitatem compenset. Cujus ratio est, quod hic *contractus* *emptionis* sit, emptione autem perfecta periculum in re empta

ptione

contingens ad emptorem pertineat, *toto t. ff. de periculo & commodore rei venditæ.*

Non etiam obstat, quod contra hunc contrahendum censualem objici solet, nimisrum esse contra naturam pecuniae & emptionis, ut una pecunia aliâ pecunia ematur, cum pecunia sit tantum pretium ad alias res comparandas; item emptionem esse tantum de praesenti, in contractu autem censuali hic & nunc nulla res praesens sit, quae ematur. Nam dicendum est, in contractu censuali non emi pecuniam tanquam mercem, sed jus percipiendi pecuniam, prout etiam alia jura incorporalia recte emuntur, & venduntur. Unde quia istud jus futuris temporibus percipiendi pecuniam statim tempore emptionis a venditore census conceditur emptori, ideo hoc respectu satis res empta praesens dici potest. Velluti & fructus in agris, partus ex animalibus in futurum nascituros jure vendi probatur *ex l. nee emplio. 8. ff. de contrahenda emptione.*

Quod si census realis non tantum ex parte vendoris, sed etiam emptoris, & sic utriusque redimibilis constituatur, adhuc tamen non improbabiliter ab usura defendi potest. contractus enim ex conventione legem accipiunt, c. contractus. 85. de R. I. in 6. & illæ differentiae inter mutuum & tales contractum paulò ante enumeratae adhuc permanent.

Verum quidem est, quod ex constitutione Caroli V. in Comitijs Augustanis facta sub titulo, *de usurarijs contractibus*, ad censum licitum requiratur, ut ejus redemptio non sit in arbitrio empto-

emptoris, sed solum venditoris, nihilominus id intelligi potest, quod in foro externo non aequaliter ex tali pacto usura, & palliatum mutuum presumatur, quae presumptio non habet locum in foro interno, si omnia bona fide agantur, & periculum intereuntis rei censualis penes emptorem maneat. præterea similes conditiones quatenus ea prohibent, quae juri naturali non aduersantur, non ubique esse receptas, afferit Paul. Laym. in *Theol. mor.* lib. 3. tract. 4. c. 18. sub n. 6. Attamen in loco ubi non esset consuetudo censum utrinque redimibilem constituere, tutius foret à tali contractu abstinere propter illam fori externi presumptionem, & scandalum aliorum, ac periculum usurariæ intentionis.

11. Respondeo II. Censum quoque personalem præsertim à solo venditore redimibilem (probabiliter etiam utrinque redimibilem per ea quae mox de censu reali diximus) ab usura plurimi D.D. defendant. Si enim aliae præstationes super sola personæ industria constitui possunt, profit fit in tributo Magistratui solvendo, in decimis personalibus, in contractu societatis &c. non appareat ratio, cur idem censu personali fieri nequeat, cum de æquivalentibus idem sit judicium. *L. ultimâ ff. mandati.* Differt autem hic contractus à mutuo, I. Quod constitui non possit, nisi cum tali persona, quae ex sua industria lucrum facit. II. Si ex causa persona censualis lucrum facere amplius non valeat, pensiones quoque annuae amplius non solvantur. III. Si census ex



ex parte solius venditoris redimibilis sit, itetum differt à mutuo, quia mutuum non tantum debitor sponte solvere, sed etiam creditor ab invito debitore petere potest.

Imò non desunt magni nominis DD. qui censum personalem & realem constitui posse affirmant cum pacto assencionis, ut nimis venditor suscipiat in se periculum interitus, & re censuali pereunte, vel lucro ex industria personae sine culpa ejus cessante, venditor non quidem annuos census persolvere, sed tamen capitale seu pretium census restituere teneatur. dummodo hæc obligatio venditoris ipsi aliquo modo compensetur scilicet pretium census augendo, vel, quod in effectu idem est, minorem censem exigendo. Ita námque in alijs contractibus aperto jure concessum est, ut contra naturam contractus periculum ex speciali pacto ad alterum pertinente possit, puta in commodato ad commodata-  
tum, in deposito ad depositarium, c. unico, de  
commodato. l. 1. ff. depositi Verùm contra hunc  
censem personalem, & pactū assencionis adduci-  
tur Bulla Pij V. quæ incipit; Cùm onus Aposto-  
lica servitutis, cui tamen similis responsio aptari  
potest, quæ supetius circa constitutionem Caro-  
linam data est. Prolixius hanc materiam de cen-  
sibus tractat Laym. d. l. c. 18. & Cov. variarum  
resolut. lib. 3. c. 7. Heint. Canis. de usur. c. 14.  
Lessius de f. & f. lib. 2. c. 22. aliisque apud eos  
citat.

Quaritur VIII Sultimo, quid sit Cambium, 12  
& quo

& quo titulo ex eo lucrum acquiri possit? Ne*gotiatio* ista pecuniaria, quæ *cambium* dicitur pa*sim* nota & usitata nihil est aliud, quam permu*tatio* pecunia*e* pro pecunia, in qua ille qui roga*tur*, ut pecuniam commutet, camp*sor*, ille verò qui rogar*&* ad eujus gratiam pecunia commutatur *Campsarius* appellari solet; prisco enim vocabulo *cambiare* vel *campsare* idem quod *permui*re** significabat, sicut ex Prisciano refert Cov. de collatione veterum numismatum. c. 7. n. 4.

Licet verò etiam in *mutuo* pecunia pro pecunia detur, id tamen non sit causa permutationis, neque statim tempore contractus in mutuo, sicut in cambio pecunia unius datur pro pecunia alterius, sed solus creditor numerat pecuniam, ut in futurum vel eandem, vel aliam ejusdem generis, & bonitatis recipiat, cum ergò *cambium* à *mutuo* differat, consequens est, quod lucrum ex cambio quæsitum nomine *usurarum* censi*ri* non debeat, nec usurarum pœnis subjaceat. videamus tamen breviter, ex quibus causis aliquod lucrum citra iniuriam ex *cambio* percipiatur.

Est autem præsciendum, *cambium* dividi in *mannale* sive *minutum*, & in *cambium locale*. *Cambium minutum* seu manuale dicitur, quando pecunia unius formæ aut materiæ permittatur cum pecunia alterius formæ aut materiæ v.g. crucigeri aut festertia pro taleris, vel aureis, moneta Germanica pro Italica, Hispanica &c. dicitur *minutum*, quia plerumque minor moneta commutatur pro majore, & *manuale*, quia sta-

tim

tim in eodem loco & tempore de manu ad manus vicissim pecunia numeratur.

*Locale cambium* est, quando pecunia præsens commutatur cum pecunia stante in alio loco, quod cum ordinariè per litteras fieri soleat, per quas campfor mandat suo correspondēti, ut cāplario certam pecuniæ quantitatē, quam ipse campfor jam hīc v.g. Salisb. accepit, numeret Romæ, ideo etiam *cambium per litteras* appellatur. Idque præcipuè ob utilitatem itinerantium inventum est, ne cogantur pecunias cum magno periculo & incomodo secum continuo deferre.

Porrò in *cambio minuto* si v.g. aurei pro crucigeris commutandi sint, solent campores aliquid auctuarij loco exigere, & frequenter pro quolibet aureo sextertium vel grossum. causas hujus exactioris DD. aliquot allegant, prima est locatio operæ & obsequij, siquidem campfor debeat semper paratas habere diversi generis pecunias, quemlibet ad cambium in suam domum intromittere, inde se & famulos hujus negotij expertos alere. quod maximè procedit circa campores, quibus obligatio tale cambium exercendi pro publica hominum utilitate à Magistratu imposita est. secunda causa, est *lucrum cessans* vel *damnum emergens*, ut si campfor propulerat nummos aureos alio deferre ubi plures valent, & alibi merces emere, ubi aliâ moneta longè carius emuntur &c. Tertia, puritas materiæ, quia communi hominum iudicio imperialis vel ducatus purus nihil habens de cupro admix-

admixtum pluris æstimatur, quam moneta im-  
pura. Nec obstat, quod quidam opponunt, æ-  
stimationem materiae non esse in potestate subdi-  
torum, sed Principis monetam cudentis. Nam  
respondeatur nummos alio modo æstimari à  
Principe, & alio à subditis: à Principe quidem  
nummi *formaliter* considerantur, ut nummi  
sunt, & quatenus mensura rerum venalium, &  
solutionis debitorum: à subditis vero in cam-  
bio, & commutatione *materialiter*, & ut res sui  
patrimonij, quæ in se meliores vel deteriores  
sunt. Hinc etiam pro quarta causa assignant at-  
titudinem, raritatem, commoditatem conser-  
vandi, numerandi, vel deferendi monetam.  
Quinta demum esse potest, usus seu expendibi-  
litas, ut si in aliquo loco commutentur nummi,  
qui possunt ibi expendi cum ijs, qui expendi non  
possunt, isti enim cum non habeant ibi pretium  
vel valorem, minoris æstimantur.

Sed & *in cambio locali* campores aliquod lu-  
crum facere consueverunt, ita ut si in exemplo  
camparius hic Salisburgi numeraverit campori  
centum imperiales, Romæ tantum accipiat no-  
naginta quinque, & quinque cedant lucro  
camporis.

Hoc vero lucrum dummodo usitatum in ali-  
quo loco cambij modum, qui communis homi-  
num æstimatione non reputetur iniquus, non  
excedat, communiter defendunt DD. Inpi-  
mis enim campores pro itinerantium utilita-  
te solent ad hos operas suas locare, famulos &  
seri-

Scribas alete, libros rationum tenere, aliosque sumptus facere. Deinde campor virtualiter saltem transfert pecuniam de loco ad locum, & liberat camplarium abonere, sumptibus, ac periculis, quæ ipse in transferenda pecunia subire deberet, quod obsequium merito pretio estimabile censetur. Pluta de cambijs videri poterunt apud Less. de I. & I. lib. 2. cap. 23. ubi difficultates plerasque circa cambia satis exacte pertractat.

## §. III.

## De Restitutione &amp; Poenis Usurarum.

## SUMMARIA.

1. Obligatio restitutionis encumbit usurarijs etiam mentalibus.
2. Cur & an non idem in Simonia mentali.
3. Jure Can. etiam heredes tenentur restituere.
4. Excusatio à restitutione.
5. Res empta ex pecunia usuraria, non est restituenda nisi deficienibus alijs medijs.
6. Contra tertium possessorem non datur actio.
7. Aliae poena usurariorum.
8. Parochi sine iudicio ordinarij non debent aliquem usurarium condemnare.
9. Oblationes quanto recipienda ab usurarijs.
10. Ad sepulturam non recipiuntur nisi præstata satisfactione, vel cantione.
11. Nec testamenta eorum valent.
12. Jurium imperiti, qui juxta communem modum sub nomine mutui accipiunt aliquid ul-

MAN. PAROCH.

*tra sortem, qualiter frequenter ab usura ex-  
cusari possint.*

**S**i eut quilibet iniquus rei alienæ detentor ad restitucionem tenetur, nec absolvitur peccatum, nisi restituatur ablatum, c. *peccatum. de R. I. in 6.* ita etiam usurarij ante omnia cogendi sunt ad restitucionem eorum, quæ per usuras contra jus naturale, divinm & humanum acquisiverunt. Et cum usura rapinæ instar sit, c. *si quis usuram. 14. q. 4.* ideo usurarij in utroque foro tam interno quam externo ad restitucionem adigi debent. In foro tamen externo non aliter quis ad restitucionem cæterasque usurariorum poenas condemnandus est, quam si fuerit usurarius manifestus, scilicet per rei evidentiam, confessionem judicialem aliasve legitimas probationes convictus; Ecclesia enim & alij judices externi non judicant de occultis, ne quandoque innocentes pro nocentibus puniantur, c. *cum tu. 5. b. t. l. ultima C. de probationibus.* In foro autem interno nullâ opus est probatione, sed sua quemque conscientia arguit. Hinc etiam non tantum realis usura, quæ aperto usurario pacto commissa est, sed & sola mentalis in conscientiae foro ad restitucionem obligat, per textum & DD. in c. *consuluit.* **I**o. *b. t.* dicitur autem mentalis usura, quando creditor non fuisset aliter pecuniam datus indigo debitori, nisi ipse debitor vicissim vel sine omni pacto externo, vel ex pacto aliquo simulato, & quo ad externam speciem non usuratio,

rario, lucrum creditorì concessisset. Exempla desumi possunt ex §. 1. versiculo Dico quarto. & ex §. 2. q. 2. & secundā interpretatione, c. na-  
viganti. & ex eodem §. 2. q. 4. in responso ad  
quintum argumentum.

Vero hic non levis est difficultas, quare 2  
in simonia mentali sufficit solā penitentiā & do-  
lore erga Deum illud peccatum expiare sine  
restitutionis obligatione, ut communiter tra-  
dunt Interpretes in c. ultimo. de simonia. & non  
similiter in usura mentali? Inter varias expli-  
cationes quas adserunt DD. illa videtur captiu-  
facilius, quam refert Barb. in dicto cap. consu-  
luit. n. 4. quod in usura mentali inuria fiat debi-  
tori qui invitus, & necessitate coactus solvit, in  
simonia vero mentali quae sine expresso pacto  
fit, plerumque ille, qui pro spiritualibus ali-  
quid temporale offert, non sit necessitate con-  
strictus. Imò si ponatur casus, ut v. g. Cleri-  
cus in necessitate constitutus non possit aliter  
impetrare beneficium ad sui sustentationem,  
quam si liberalem oblationem faciat Episcopo;  
vel Patrono alias sibi non collaturo, tunc æquè  
restitutionem faciendam esse in simonia hac  
mentalī, quam in usura mentali non improbabili-  
liter docet Dominicus Sotus de justitia & iure.  
lib. 9. q. 8. artic. 1. neque etiam ex textu d. c.  
ult. de simonia. qui obscurior est, & diversas in-  
terpretationes admittit, contrarium evincitur.

Ceterum restitutio usurarum vel debitori-  
bus per usuras laesis, vel heredibus eorum, aut

in istorum omnium defectu pauperibus facienda est, d. c. cum tu. s. h. t. Ex adverso quoque non tantum ipsi usurarij, sed etiam heredes eorum, usuras restituere tenentur. Quamvis enim de Jure Civili heres non teneatur ex delicto defuncti, nisi quatenus ex illo delicto ad heredem pervenit, & inde locupletior factus est, vel si f. s. cum defuncto contestata fuerit, ut tunc non tam ex delicto, quam ex quasi contractu litis contestatae conveniatur, L. unita. C. ex delicto defuncti, quemadmodum heres teneatur, &c. De Jure tamen Canonico heres ad exonerationem conscientiae defuncti teneatur pro viribus hereditarijs omnibus illis satisfacere, quibus defunctus damnum intulit, licet ex illo damno hereditatis aucta non sit, c. ult. de sepulturis. c. in litteris. de raptoribus. Et cum haec res salutem animae concernat, & naturalis ratio suadeat, ut contra justitiam laesum damnum ex bonis ipsius laedentis compensetur, ideo hanc constitutionem Juris Pontificij etiam in terris Imperij observandam esse non attenuata lege Civili, recte docet Henr. Canil. de usuris. c. 7. sub n. 4.

4 Ab hac tamen restitutione excusat notoria paupertas usurarij, vel heredum ejus, usque dum ad pinguiorem fortunam deveniant, nam is nullam. ff. de dolo. & d. c. s. h. t. Item si debitor ipse met solitus sit usuras exercere, non audiatur contra suum creditorem restitucionem usurarum petens, nisi & ipse prius alij, cum

cum quibus usuras exercuit, restitutionem facerit, nam frustra legis auxilium invocat, qui in legem peccavit, c. q. I. frusta. h. t.

Sed quid, si creditor ex pecunia usuraria dominos vel praedia emerit,anne haec tanquam sua debitor vel heres ejus poterit sicut potuisse ipsam pecuniam usurariam? R. de Jure rem non succedere in locum pecuniae, propterea qui ex aliena pecunia etiam inscio vel invito Domino rem aliquam emit, sibi acquirit hujus rei dominium, non alteri, cujus pecuniae fuerunt, nisi quod ei aliam pecuniam reddere teneatur; per textum expressum in l. qui aliena. 8. C. si quis alteri vel sibi &c. & lege si ex eao 6. C. de rei vindicatione. Si tamen creditor non habeat alia media satisfaciendi debitori propter usuras, tunc cogetur talia bona vel in solutum dare, vel vendere, & de pretio usuras malè acceptas compensare, d. s. 5. b. t.

Quod si talia bona jam in tertium alienata sint, contra hunc tertium possessorem probabilis debitori nulla actio competit, non personalis, quia cum eo nihil contractum fuit: Nec etiam realis hypothecaria quia non habemus legem, quae hypothecam in tali casu concedat, nisi fortassis debitor cum quo usura exercita, pupillus aut minorenris fuerit, qui alias in re ex pecunia sua comparata tacitam hypothecam habet, l. idemque. 7. ff. qui potiores in pignore. vel Ecclesia, quae Jure minoris utitur, c. i. de integrum restit. vel nisi alienatio in tertium

facta sit in fraudem debitoris, cum creditor usurarius sciret se aliunde debitori per usuras læso satisfacere non posse, tunc enim res alienata revocabitur secundum ea, quæ traduntur in toto t. ff. quæ in fraudem creditorum. Covariarum resolut. lib. 3. c. 3. sub n. 6.

7 Præter obligationem restitutionis aliae quoque pœnæ in usurarios constitutæ sunt, ut primum infamia Juris. l. improbum fœnus. C. ex quibus caus. infam. irrogetur.

Secundò privatio officij, & depositio in Clerico usurario, c. 1. & seq. 14. q. 4. poterit tamen Episcopus post restitutionem & perædam pœnitentiam cum tali Clerico dispensare, c. at si Cerici. §. de adulterijs. de iudicijs. Gl. in c. præterea. v. suspendas. h. t.

8 Tertiò Laicos usurarios Episcopus excommunicare potest, & prohibere, ne eorum oblationes tanquam male quæsitæ in Ecclesijs recipiantur, sub pœna ut Ecclesiastici tales oblationes recipientes ab officio suspendantur, & ad restitutionem acceptorum teneantur, c. 3. & c. præterea. h. t. quod tamen intelligendum est, si aliquis usurarius manifestus sit, aut tanquam usurarius in iudicio convincatur, & si appareant illi, quibus per usuras datum est, alias in dubio absque declaratione Episcopi à privatis Parochis nemo tanquam usurarius facile proclamandus est, criminalia enim, quæ altioris indaginis sunt, & magnum præjudicium, ac pœnas juris secum trahunt, nec



nec Parochus, nec Decanus ruralis judicare,  
sed ad Episcopum referre debet, Tridentinum  
sess. 24. de reform. c. 20.

Quod si etiam nulli amplius existant debito-  
res, vel heredes eorum, à quibus usuræ extor-  
tæ sunt, tunc in horum defectu oblationes, ma-  
xime quæ in sustentationem pauperum ee-  
dunt, faciendas & recipiendas esse habetur in  
sæpè dicto c. 5. b. t. & insinuatur, *Luc. 16. c.* ubi  
Christus dicit: *facite vobis amicos de mammo-*  
*na iniquitatis, ut cum defeceritis, recipient vos in*  
*eterna tabernacula.*

Quartò usurarij manifesti ad Ecclesiasticam 10  
sepulturam non admittuntur, antequam usu-  
ras pro modo & possibilitate facultatum sua-  
rum restituerint, aut saltem cautionem de re-  
stituendo præstiterint præsentibus illis, quibus  
usuræ debentur, aut in istorum absentia co-  
ram loci Ordinario, proprio Parocho, vel No-  
tario, c. 2. b. t. in 6. imò in articulo mortis, &  
casu necessitatis, quando Ordinarius loci, Pa-  
rochus vel Notarius haberi non potest, quem-  
libet Sacerdotem, qui tunc temporis à peccatis  
absolvere potest, etiam idoneum esse ad reci-  
piendam talam cautionem, ut eam postea re-  
ferat Episcopo, docet *Syl. in verbo restitutio.* §.  
6. q. 1. & *Navar. in Manuali. c. 13. n. 218.*

Quintò testamenta & ultimæ voluntates 11  
usurariorum non valent, nisi ante mortem u-  
suras restituerint, vel de restituendo idoneam  
cautionem dederint, d. c. 2. b. t. in 6.

¶ 2 Demum hoc loco notandum est, quod homines rudes & indocti, qui ex sua pecunia lucrum, & pensiones annuas accipiunt juxta cum modum, quo alij viri honesti, & probi facere consueverunt, non sint facilè de usura condemnandi, quamvis ipsi non intelligent, quo Jure vel titulo tale lucrum sibi habere licet, cùm enim lucrum ex pecunia varijs ex causis cohonestari valeat, ut propter lucrum cessans damnum emergens, implicitum patrum societatis, emptionem census &c. satis censeri possunt in bona fide, qui proborum virorum imitantes exemplum sibi proponunt, non aliter quād justo, quo fieri potest, titulo lucrum ex pecunia quærere.

Imò licet indocti contrahendo utantur verbo mutui, vel germanicè *aufleichen*, nihilo minus cùm non intentio verbis, sed verba intentioni deservire debeant, c. secundo requiris. de *appellationibus*. idèò ex mente istorum, qui omni meliori modo, quo de jure fieri potest, contrahere intendunt, similes contractus in effectu non tam mutuum, quād societas implicita cum pacto assecurationis (quod fieri potest si pro tali periculo assecurationis socio relinquatur majus lucrum, cum contractus ex conventione legem accipient) vel emptio census realis aut personalis judicari debent, præsertim quia apud Germanos ille terminus valde generalis est, & omnem ferme concessionem significat, ita docet Lay. libro 3. tractatu 4. c. 18. n.

II. 3



695

I I. § 13. cum Less. Valen. & Majore ibidem ci-  
tatis. alias enim innumeri condemnandi forent,  
non tantum Laici, sed & Ecclesiastici, qui sub  
 nomine & titulo aufleichen ultra sortem seu ca-  
pitale annuatim 5. vel 6. pro 100. exigunt, nec  
lucrum cessans, nec damnum emergens, nec  
morale periculum interituri capitalis propter  
assecurationem pignoris & fidejussionum habent,  
& solum lucrum querunt, ne pecunia otiosa sit.  
& sanè si iniuriam non à verbis, & ab effe-  
ctu metimus, haud esset rationabile, indoctum  
qui sub nomine mutui vel aufleichen accipit  
pro 100. usurarium asterere, & doctum qui  
sub nomine census idem facit, absolvere. Me-  
minissemus tamen oportet, quod semper hactenus  
monuit, multos contractus excusari posse, in  
quibus aliquid ultra sortem accipitur, si fiant  
cum eo, qui ex mea pecunia negotiatur, & hone-  
stum lucrum querit, ut mihi hujus lucri partem  
tribuat, veluti in contractu societatis expresso  
vel implicito, in quo alter pecuniam, alter in-  
dustriam confert, contingit, aut si verè redditus  
annuos ex re vel industria habeat, quos sine dam-  
no suo vendere possit. Secùs autem, si con-  
trahatur cum debitore indigente, qui tantum ad  
sublevandas necessitates suas mutuam pecuniam  
accipit, & si redditus ex rebus vel laboribus suis  
provenientes vendere non possit, debeat defectū  
necessariæ sustentationis pati, & paulatim prot-  
sus ad inopiam delabi cogatur, cum tali enim  
non est materia, vel merces, scil. lucrum aut re-

ditus, super quibus possit fundari emptio census, vel societas. Quod si ab initio contractus habuerit ex re vel industria redditus, & hi sine culpa sua defecerint, hic defectus vel interitus ad emptorem census spectat, ut is censum exigere non possit, sicut etiam superius dictum. Caveant igitur divites, ne pro transitorio & plerumque ingratiss heredibus relinquendo lucro animæ detrimentum patientur, thesaurizent sibi potius thesauros in cælo, faciant Christianæ Charitatis erga indigentes officium, & adimplere studeant illam Christi sententiam Luc. 6. *Benefacite, mutuum date, nihil inde sperantes.*

**Hæc dæmum omnia ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, S. Josephi, S. Caroli, S. Benedicti, atque S. Ieronimi, omniumque Cœlitum honorem dicta, S. Matris Ecclesiæ, & cù jusque meliori Judicio lubens submitto.**

F I N I S.

IN.

